



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 22. Regis Galli adventus, atque ingressus in urbem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæc. XV.

A.C. 1495

§. XXII.

*Regis Galli adventus, atque ingressus in urbem.**La Vigne
journ. du vo-
iage de Char-
les VIII.**Guic. hist.
Ital. lib. 2.*

Itaque Ferdinandus Ischiæ ultiores ar-
morum Caroli successus quiete præ-
stolabatur, quos abs dubio prosperos fo-
re facile præsentiebat: interim Carolus
Rex Capuam triumphans ingreditur
die decima octava Februarii, postera ve-
ro die Aversam contendit, ubi die vi-
gesima ejusdem mensis Neapolitanos ex-
cepit Deputatos, qui nunciata Ferdinan-
di fuga, traditisque urbis clavibus sua
offerebant obsequia. Hos Carolus haud
vulgaribus honorum signis auctos dimisit,
illisque adjunxit Giensem Marescallum,
aliosque Optimates, quos ipse altera die,
quæ erat Dominica, vigesima secunda
Februarii secutus, solemni pompa ur-
bem ingressus est, ubi inter ingentes po-
puli plausus, faustasque voces, & cer-
tantia multitudinis vota, cunctis Regi
partam urbem aggratulantibus, velut li-
berator patriæ suscipiebatur. Ubique
pulsabantur campanæ, tantaque lætitia
Magistratus civesque eum, perinde ac
regni hæreditario jure sibi debiti possessio-
nem accepisset, excipiunt, ac Belli Du-
ces, necnon milites Gallos omni offi-
ciorum genere cumulant; nec remissior
erat

erat lætitia devictorum, qui non minus Sæcul. XV.
A.C. 1495.
quam ipsi Victores de Regis adventu triumphabant, ac ut verbo dicam, nulla publici gaudii signa excogitari poterant, quæ Neapolitani juncta cum Gallicis opera in usum deducere prætermisissent. Adeo nempe Prædecessorum Regum severitas cunctos incolas depresserat, econtra vero mitioris regiminis spes erexerat.

§. XXIII.

Utrumque Neapolis castrum a Rege captum.

Deerat tamen Regi ad victoriæ summam castrum - novi expugnatio; quinimo aliæ adhuc arces validis omnino præfidiis munitæ Ferdinando parebant. *Mem. de
Commin.
l. 7. c. 14.
Albinus de
bello.*
Has inter castrum Ovi præerat Fridericus Ferdinandi Patruus, Marchio autem Piscarius Castrum - novum tuebatur: cum autem ibidem casu pulvis pyrius ignem conciperet, tam horrendus excitabatur fragor, strepitusque, ut Piscarius consilii inops conscensa quadam cymba præcipiti fuga sese periculo subduceret. Eo absente mox milites Itali, qui adhuc in arce erant, dilapsi sunt; unde nonnisi quingenti ex Germanis supererant; verum eorum Dux magis pretiosa colligens, cetera militum suorum prædæ reliquit,

Hist. Eccles. Tom. XXXI.

C liquit,